

www.e-rara.ch

Tomus primus

Erasmus Roterodamus sacrae theologiae professor reverendissimo patri ac domino domino Gulielmo Waramo archiepiscopo Cantuariensi totius Angliae primati et eiusdem regni cancellario summo s.d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

ERASMVS ROTERODAMVS SACRAE THEOLO
GIAE PROFESSOR REVERENDISSIMO PA
TRI AC DOMINO DOMINO GVLIELMO
VVARAMO ARCHIEPISCOPO CAN
TVARIENSI TOTIVS ANGLIAE
PRIMATI ET EIVSDEM REGNI
CANCELLARIO SVM MO

S. D.

Tanta semper fuit litterarū apud ethnicos quoq; ueneratio,
Gulielme praesulum decus, & uirtutum ac litterarū antistes,
ut disciplinarum omnium origines, haud alijs q̃ dijs autho
ribus consecrandas ducerent: eaq; cum primis cura summis
ac florentissimis regibus digna uideretur, si excellentium uirorū libros,
quo pluribus usui esse possent, in diuersas linguas transferēdos curarēt:
hinc uidelicet & sibi uerissimam certissimamq; laudem, & regno prae
cipuum ornamentum accessurum rati, si bibliothecam, q̃ optimis simul
& emendatissimis codicibus posteritati traderent. Nec ullam grauiorē
iacturam accidere posse iudicabant, q̃ si quid ex id genus opibus inter
cidisset. Proinde ne qui suis ingenijs, suisq; uigilijs, tantopere de morta
libus uniuersis meriti fuissent, horū memoria, iniuria temporū nihil nō
oblitterantium intermoreret, authores ipsos statuis ac picturis expres
sos, passim in porticibus ac bibliothecis ponebant, qua certe licuit, illos
ab interitu uindictantes. Tum eorundem apophthegmata, marmori,
aeriq; passim insculpta, mortalium oculis ingerebant. Libros ingenti re
demptos precio, magnaq; fide uel religione potius descriptos, cedrinis
inclusos capsulis, tum cedri succo oblitos, in templis reponebant, partim
ut rei tam sacrae tamq; diuinæ custodia, nō alijs q̃ ipsis numinibus con
crederetur, partim ne quid situs aut caries illa monumenta uitaret, quae
sola principum gloriam a situ carieq; queunt asserere, & impune inter
morentur, quae praestant omnibus immortalitatem. Fuerunt qui nec
hac contenti diligentia, codices ceu thesaurum incomparabilem, in altis
simis terrae latebris recondere, tanta cura, ut nec incendijs, nec bellorū
α 2 procellis,



EPISTOLA NVNCVPATORIA.

procellis, quibus omnia sacra prophanaque misceri solent, interirent, & posteris certe superessent. Nimirum perspexerunt hoc, non minus sapientia quam regno dari principes, barbaricum esse, cadavera defunctorum unguentis oblini, ne computrescant: cum ea ne referat quidem seruari: quippe iam nec figuram oris aut corporis imaginem referentia, quod saxæ tamē faciunt imagines. Multo igitur iustius eam curam, in excellentium uirorum libros transferri, in quibus orbi supersunt etiam defuncti: & ita supersunt, ut & pluribus & efficacius loquantur mortui quam uiui. Confabulantur, docent, adhortantur, deterrent, consulunt, erigunt, consolantur, sic ut nulli nec fidelius, nec paratius. Denique tum nobis uerissime uiuunt, posteaque sibi uiuere desierunt. Equidem sic opinor, si quis cum **M. Tullio** (ut hunc exempli causa nomen) complureis annos domesticam egisset consuetudinem, minus nouerit **Ciceronis**, quam faciunt hi qui uersandis **Ciceronis** scriptis, cum animo illius cotidie confabulantur. Porro si hic honos est habitus, supersticiosus etiam uoluminibus, ueluti **Numæ** ac **Sibyllæ**: aut rerum ab hominibus gestarum memoriam completentibus, uelut apud **Aegyptios**: aut aliquam humanæ sapientiæ portionem tradentibus, ueluti **Platonis** & **Aristotelis**, quanto iustius est idem facere principes christianos & episcopos in seruandis eorum monumentis: qui sacro afflati spiritu, non tam libros quam oracula nobis reliquerunt. Et tamen haud scio qui factum sit, ut non alia in re magis cessatum uideatur a maioribus nostris. Sit sane leuis ethnicorum authorum iactura, quæ tantum efficiat, ut minus eruditi simus aut minus eloquentes, non ut minus prius. Cæterum ex tot eximijs uereque sacrosanctis authoribus, quos nobis uel erudita dedit **Græcia**, uel huius æmula prodidit **Italia**, uel olim studijs florentissima produxit **Gallia**, uel ingeniosa peperit **Aphrica**, uel laboris patiens ædidit **Hispania**, rara quadam eruditione suspiciendos, eloquentia claros, uitæ sanctimonia uenerandos, quos te pauci supersunt, casu seruati magis quam nostro beneficio: atque hi rursus ipsi, quam scæde mutili, quam cõtaminati, quam prodigiosis mendis undique scatentes, ut non magni referat sic superesse. Equidem ut non aspernor simplicem uulgi pietatem, ita non possum non mirari tam præposterum multitudinis iudiciũ. Calceos sanctorum & sudariola mucro sordentia exosculamur, & eorundem libros, sanctissimas & efficacissimas diuorum reliquias, neglectos iacere patimur. Tuniculam, aut indusculum diui, aureis gemmatisque thecis reponimus, & libros ab illis elaboratos, in quibus, id quod illorum fuit optimum, nobis adhuc uiuit spiratque, cymicibus, tineis, ac blattis impune rodendos relinquimus. Neque uero difficile sit huiusce rei causam coniecturis assequi. Posteaque principum mores plane iam in barbaricam quandam tyrannidem degenerassent, tum episcopi prophanam ditionem magis cœpissent amplecti, quam ab apostolis traditum docendi munus, mox uniuersa docendi prouincia, in istos quosdam est relegata, qui charitatis & religionis cognomē, hodie ceu peculiare sibi uindicant: iam negligi ceptæ bonæ litteræ, fastidita **Græcanici** sermonis peritia, multoque magis **Hebraici**: spretum eloquentiæ studium, quin & ipsa lingua latina sic conspurcata est, subinde noua barbarie, ut iam nihil minus esset quam latina. Nec historia, nec Geographia, nec antiquitatis ulla cura. Tantum ad sophisticas quasdam argutias contracta res litteraria: & eruditionis summa, penes summularios quosdam collectores ac excerptores esse cœpit: hoc nimirum impudentiores, quo minus eruditos. Proinde ueteres illos scriptores, facile uel antiquari passi sunt: uel quod uero propius est, ipsi abolendos curarunt, ut quos iam frustra legerent, nimirum his rebus destituti, sine quibus illi non queant intelligi. Et tamen ex illis utcumque decerpta quædam, suis commentarijs admiscuerunt, qua gratia magis etiam in rem istorum erat illos interire, ne quando uel plagij cõuincerent, uel inscitia. Scilicet tanti erat antiquari **Clementem**, **Hirenæum**, **Polycarpum**, **Origenem**, ut horum uice, **Occam**, **Durandum**, **Capreolum**, **Lyrarum**, **Burgensem**, & his etiam indoctiores legeret orbis. Sub horum igitur diutina tyrannide, tanta fuit bonarum litterarum ac bonorum authorum πανολεθρία, ut e doctorum ordine pellere tur, qui uel paulum litteraturæ melioris attigisset. His rebus factum est, ut tot orbis lumina, quorum titulos duntaxat, nec id sine lachrymis legimus, funditus interierint. Et si quos contigit suis superesse fatis, hi sic modis omnibus deprauati sunt, adeo truncati, contemeratique, ut felices uideri possint, qui perierunt. Atque id profecto cum mihi uehementer indignum uidetur in omnibus eruditis, tum longe indignissimum in **Hieronimo**, cuius tam multæ tanque eximiæ dotes promerebantur,

3.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

rebantur: ut uel solus & totus & incorruptus seruaretur. Nam ceterorū quidem alios, alia com-
mendant dotes, in hoc uno *συνθεσθην* ut aiunt, cōiunctum fuit, eximium fuit, quicquid in alijs per
partem miramur. Et cum in singulis egregium esse, magnum sit ac rarum, hic sic excelluit in om-
nibus, ut longe præcurrat in singulis, si illum cum ceteris conferas: sin ipsum secum componas,
in nullo præmineat. Tanta est rerum omnium summarum temperatura. Etenim si naturæ feli-
citem expendas, quid illius ingenio, uel ardentius ad discendum, uel acius ad iudicandum,
uel fecundius ad inueniendum? Deniq; quid dexterius aut festiuus, si forte res delectationem
desyderet? Sin eloquētiæ laudem requiras, in hac certe Christianos scriptores uniuersos, tanto
post se reliquit interuallo: ut nec hi cum Hieronymo conferri queant, qui uitam omnem in uno
bene dicendi studio contriuerunt: ac prorsum tantum abest, ut quisq; sit nostræ religionis scri-
ptor, quem cum hoc possis componere: ut meo iudicio, Ciceronem etiam ipsum, suffragijs om-
nium eloquentiæ Romanæ principem, nonnullis dicendi uirtutibus superet: quod quidem in
ipsius uita copiosius demonstrabimus. Mihi sane hoc ipsum solet usu uenire in Hieronymo,
quod olim in M. Tullio: cum quo si quē cōtulerō, per se quantumuis disertum, repente uelut ob-
mutescere uidet: & cuius linguā, citra cōtentionē uehementer admiror, ad hunc cōpositus & ad-
motus, elinguis uidetur & balbus. Sin doctrinā exigas, queso te, quem habet uel eruditissima
Græcia, sic absolutum in omni doctrinæ genere, ut cum Hieronymo sit committendus? Quis
unq; pari felicitate, omneis totius eruditionis partem cōiunxit & absoluit? Quis unq; in tot lin-
guis antecelluit unus? Cui tanta historiā, tanta Geographiæ, tanta antiquitatis noticia con-
tingit unq;? Quis unq; sacrarum & prophanarum omnium litterarum, & parem & absolutam
scientiam est assecutus? Sin memoriam examines, quis author seu uetus seu nouus, quem ille nō
in promptu habuerit? Quis angulus diuinæ scripturæ, quid tam abditum, quid tam uarium,
quod ille non uelut in numero habuerit? Sin industriam, quis unq; tantum aut euoluit aut
scripsit uoluminū? Quis sic uniuersam diuinam scripturam edidit, imbibit, concoxit, uersauit,
meditat⁹ est? Quis æque sudauit in omni doctrinæ genere? Iam si morū sanctimoniā spectes,
quis Christum spirat uiuidius? Quis docuit ardentius? Deniq; quis eum uita magis expressit?
Poterat hic unus pro cunctis sufficere latinis, uel ad uitæ pietatem, uel ad theologicæ rei cogni-
tionem, si modo integer & incolumis extaret. At nunchaud scio, an quisq; omnium tractatus
sit indignus. Bona pars uigiliarū illius intercidit. Quod superest, non deprauatū erat, sed prorsus
extinctum & oblitteratum: idq; partim quidem illitteratorum uitio scribarum, qui solent ex
emendatis in emendata describere, ex mendosis mendosiora reddere, prætermittere quod non
legunt, corrumpere quod nō intelligunt, uelut Hebræa Græcæq; uocabula, quæ frequenter in-
termiscet Hieronymus: sed multo sceleratius, a sacrilegis haud scio quibus, studio detruncata
permulta, addita nonnulla, mutata pleraq; deprauata, sordidata, confusa pene omnia: ut uix
ulla sit periodus, quam eruditus inoffense possit legere. Imo quod est pestilentissimum uitandi
genus, perinde quasi parum esset, tot insulsißimas nugas iuxta infantes atq; ineruditas, in ho-
minis eloquentissimi pariter ac doctissimi nomen ac titulum contulisse, medijs illius commen-
tarijs, passim admiscuerūt suas nēcias, ne quis repurgare posset. Nam librum falso inscriptum
permulta sunt quæ coarguant. Ceterum fragmenta sparsim intermixta, ueluti frumēto confu-
sum lolium, quo tandem cribro repurget aliquis? Atq; hæc omnia sic esse facta, docebimus mox
in operum illius catalogo, tum secundi Tomi duabus præfationibus ac censuris. Commouit
itaq; me, partim tam insignis ecclesiæ doctoris non ferenda cōtumelia: in cuius immortalia mo-
numenta, sic impune debacchati sint isti plusq; apri Calydonij, partim publica studiosorum
utilitas, quos uidebam a tam eximjs epulis hisce rebus submoueri, ut epistolarum uolumina:
quæ quo plus habebant eruditionis & eloquentiæ, hoc foedius erant deprauata, pro mea uirili
restituerem: haud quāq; ignarus, qd duram & arduam adirem prouinciā. Iam primum enim
ipsa tot uoluminum inter se collatio, quantum habeat tediij, norunt hi, quibus usu uenit in hoc
pistrino uersatos esse. Et sæpe cum his uoluminibus erat res, quæ uel legere non mediocris esset
negocij, quippe litterarum figuris, uel carie situq; oblitteratis, uel tinearum ac blactarum iniuria
semitosis ac mutilis; uel Gotthorum aut Logobardorum more depictis, ut in formis etiam no-
scitandis

scitandis mihi fuerit repuerascendum: ut ne commemorem interim, quod illud ipsum animadu-
 uertere, ac uelut olfacere, si quid parum respiciat germanam ac ueram lectionē, hominis esse, mea
 sententia, nec ineruditi, nec stupidi, nec oscitantis. Atqui super hac longe difficillimū est, aut ex
 uarie deprauatis, quid ab authore positum fuerit conijcere: aut ex qualibuscunq; figurarum fra-
 gmentis ac uestigijs, primam diuinare lectionem. Ac rursus ea res, cum ubiq; plurimum habeat
 difficultatis, tum uero potissimū in libris Hieronymianis. Idq; pluribus de causis accidit. Primū,
 quod ipsum dicendi genus, haud quāq; triuiale sit, sed sententijs uariegatum, epiphonematis
 argutum, strophis obliquum ac uafum, argumentis densum & instans, allusionibus festiū,
 nonnūq; uarijs rhetorū schematis ueluti lasciuiens, ubiq; doctum, & artificē prae se ferens. Vnde
 factum est: ut quo longius huius oratio, abest a uulgi intelligentia, hoc pluribus mendis fuerit
 contaminata, dum hic scribit: non quod legit, sed quod intelligit: ille deprauatum existimans,
 quicquid non assequitur, utcunq; uisum fuerit, mutat scripturam, animi modo sui secutus som-
 nium. Rursus alius forte deprehendens, corruptam esse scripturā, dum ex leui coniectura niti-
 tur emendare, pro unico mendo, geminum inducit: & dum uulnufculo mederi studet, uulnus
 infligit immedicabile. Accedit ad hac uaria quaedam & admirabilis omnium rerum mixtura,
 quam affectauit etiam Hieronymus, sed omnino felicissime, pia nimirum ambitione, & sancta
 quadam ostentatione iactitans opes suas, quo magis ueternū nobis excutiat, & oscitabundos
 ad arcanā scripturæ studium expergefaiat. Quid enim est usq; in ullo uel authorū uel littera-
 rum genere, qd' ille passim non aspergat, inculcet, infulciat: Hebraica, Græca, latina, Chaldaica,
 sacra, pphana, uetera, noua. Quid non? Sic ille uelut apicula per omnia circumuolitans, ex uno
 quoq; quod esset eximium, ad operis sui mellificium congescit, ex uarijs flosculis hinc illinc de-
 cerptis, sarta cōcinnans: aut uelut ex uersicoloribus tessellis, musaicum opus cōtexens. Et in his
 quod maxime retrusum est, id libentissime cōsueuit intertexere. Quid em̄ tam abditum in pro-
 phetarum inuolucris, in totius instrumenti ueteris mysterijs, quid in euangelicis aut apostolicis
 litteris, quod ille non ceu notum adhibeat: nonnūq; sic alludens, ut nec animaduertatur, nisi ab
 eruditis & attentis. Quid in Hebræorū aut Chaldæorū monumentis, quid in rhetorū, cosmo-
 graphorū, poetarū, medicorū, philosophorū, deniq; hæreticorū libris, unde non aliquid suo at-
 texat uolumini? Ea cum intelligi nō queant, nisi undiquaq; doctis, etiā si forent emēdatissimæ
 quid fieri credis, cum ita uitiata, mutilata, confusaq; sunt omnia: ut si ipse reuiuisceret Hierony-
 mus, libros suos, nec agnosceret nec intelligeret. Super hac omnia, fuit & illud incommodum,
 quod maxima pars authorum e quorū fontibus sua mutuatus est Hieronymus interijt: quo-
 rum præsidijs utcunq; sarciri poterat, quod erat iam toties deprauatum, aut etiam omissum. Si
 quidem in extremis rerum difficultatibus, ad hanc ceu sacram ancoram cōfugere solent eruditi.
 Nam me quidē, posteaq; neq; gloriæ neq; quæstus gratia laboris hoc suscepimus, non perinde
 mouebat, qd' alium fortasse procul ab huiusmodi negotio capeffendo deteruisset. Quid istuc
 inquires? Nempe quod, ut non alius est labor, qui plus adferat tedij molestiæq; ita rursus nul-
 lus est unde minus ad suum redeat authorē, uel gloriæ uel gratiæ, propterea quod omnis huius
 laboris utilitas, sic redit ad lectorem, ut non modo non sentiat nostros sudores, quibus fruitur,
 sed ne suum quidem commodum, nisi si quis forte nostra cum uulgatis codicibus cōtulerit. Ac
 dum ille in pratis amoenissimis ociosus errat, ludit, & currit inoffensus, haud æstimat, q̄ diu, q̄
 odiose nobis luctandum fuerit cum spinis ac uepribus, dum illi campum hunc repurgam⁹. Nec
 expendit, q̄ diu uel unica uocula nonnūq; torferit emendatorē: nec uenit in mentem q̄ multa
 nos offenderint, hoc molientes, ne quid sit quod illum remoret. Quantis difficultatibus parata
 sit illa facilitas, quantis molestijs cōstiterit, quod ille nihil sentit molestiæ. Sed ne molestus sim,
 omneis huius negocij molestias persequēs, unum illud & uere dicam & audacter, minoris Hie-
 ronymo, suos constitisse libros conditos, q̄ nobis restitutos: & paucioribus uigilijs apud illum
 natos fuisse, q̄ apud nos renatos. Iam ex hoc cætera sibi quisq; conijciat. Quid hic commemo-
 rem ingratiſsimam quorundam hominum imperitiā, qui nihil omnino nouari uolunt in bo-
 nis authoribus: qui cum ipsi nihil agant, aliorum præclaris conatibus semper obstrepunt: homi-
 nes adeo pingui iudicio, ut his mendosum sit, quicquid rectum est: nitidum & elegans, quod
 sordidissime

4
 sordidissime cōspurcatū: ad hæc adeo peruerso, ut cū eruditio nō patiant̃ esse ius, magno studio deprauata corrigendī, tamē iisdem quibullibet nebulonibus permittant, impune suo arbitratu, summorū uirorū libros contaminare, fœdare, perdere. Proinde necessum est fieri, ut a plerisq; nullam referas gratiā, ab his postremis, malam etiā pro bono officio gratiā reportes. At quæstum quidem, facile negligit generosus animus, gloriam & laudem facile cōtemnit christianus. Porro gratiam pro meritis expetunt & optimi quicq;. Quis ferat, pro beneficio rependi calumniam? Hæc omnia cum non ignorarem, tamen apud me tantum ualuit Hieronymi uindicandi studium, tantum utilitas eorum, quibus cordi sunt arcana litteræ, tantum deniq; tuæ celsitudinis & iudicium & uoluntas, quem præ cæteris assiduū huius negocij & impulsorem habebam & efflagitorem, ut contemptis difficultatibus omnibus, Herculano quodam animo laboriosissimā quidem, sed pulcherrimā adirem prouinciā, unus propemodum cum tot mendarum portentis depugnaturus. Nec enim tantundem laboris exantlatum arbitror, in paucis edomandis monstris Herculi, q̃ mihi in tollendis tot mendarum milibus. Neq; uero paulo plus utilitatis hinc orbi profecturū existimo, q̃ ex illius omnium ore celebratis laboribus. Primum enim complurium, sed præcipue ueterum collatione uoluminum, nonnuncq; ex apicum uestigijs addiuinantes, mendas sustulimus, & germanam reposuimus scripturam. Græca quæ uel omissa fuerant, uel perperā addita, restituiimus: quod idem fecimus & in Hebraicis, uerū hac sane in parte, q̃d minus nostro Marte poteramus, aliorū suppetijs præstitimus, præcipue fratrum Amerbachiorū, Brunonis, Basilij, & Bonifacij, q̃s optimus pater Iohannes Amerbachius uelut instaurandis bonis authorib⁹ genitos, triū linguarū peritia curauit instruēdos. Atq; hi sane paternū animū & expectationē uicerūt etiā, nihil antiqui⁹ ducētes Hieronymi gloria, & hac gratia nec impediō parcētes, nec ualetudini. Quorū equidē auxilio libēter sum usus, quod hebræorū litteras degustassem uerius q̃ didicissem. Et tamē curauim⁹, ne quid deesset auido lectori, etiā si quid deesset nobis: quodq; nostris uiribus erat diminutū, id ex aliorū suppetijs abunde sarsumus. Cur em̃ nos pudeat id facere, in uindicando tanto authore, q̃d haud pudet facere summos monarchas in recipiendis, imo in perdendis oppidulis? Adieciimus singulis libellis aut epistolis argumēta, ueluti fores aperiētes, ingredi uolentibus. Deinde q̃n nō omnib⁹ cōtigit, tot linguarū ac litterarū cognitio, si quid remorari poterat lectore mediocriter eruditū, id scholijs additis illustrauimus, quæ geminā utilitatē adferant: alterā q̃d tam insignis author, qui antehac nec ab eruditissimis legi poterat, posthac a semidoctis poterit intelligi: alterā, q̃d iam nō perinde procliu fuerit cuius deprauare, quod ab alijs est restitutū. Nec his cōtenti, quæcunq; falso Hieronymi titulo circūferebant̃, eaq; magna ex parte talia, ut nō Hieronymū authore, sed impudentissimū simul & insulsiſsimū rabulam opificē præ se ferrent, nō recidimus, ne quid omnino desyderaret, auidus magis q̃ elegans lector: hoc est, ut dicā crassius, ne nō haberēt similes labra lactucas, sed in suū relegauimus locū: nullo alioqui digna loco. Deniq; totū opus, de ea loquor portione, quæ nobis proprie sumpsimus, in quatuor digessimus uolumina. Primo *πρῶται καὶ ἀπολογητικὰ* complexi: quod eorum quæ ad uitam instituendam pertinent, oporteat primam esse curam. Secundum in tres diuisimus classes, in quarum primā retulimus, quædam non inerudita quidem illa, nec indigna lectu, sed tamen falso inscripta Hieronymo. In proximam aliena, sed quæ suis titulis authorem testentur. In tertiam uelut in sentinam reiecimus, ineptissimas ineptias impostoris haud scio cuius: de quo merito dubites, infantior ne sit, an indoctior, an impudentior. Is mihi certe quisquis fuit, uidetur dignissimus, quem publicis odijs prosequantur omnia sæcula, qui de omnium ætatum ingenijs, tam male senserit, ut sperarit neminē futurum, qui possit insani rabulæ nœnias, ab eloquentissimi, doctissimi, sanctissimiq; uiri libris dignoscere. Tertium uolumen dedimus *ἐλεγκτικοῖς & ἀπολογητικοῖς*, nimirum his quæ ad refellendos hæreticorum errores, & maleuolorum calumnias pertinent. Quartum tribuimus *ἐξηγηματικοῖς*, uidelicet quæ sacrorum uoluminum habent enarrationem. ¶ Non dissimili studio nuper dedimus nouum instrumentum, adiectis annotationibus nostris, cuius lucubrationis nuncupationem **Leoni Pont. Max.** tuæq; celsitudini communem facere uisum est, quo nouum opus, duorum totius orbis summatum nomine, tum munitius, tum commendatius exiret in

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

manus omnium. **A**t Hieronymū uelut ab inferis in lucem reuocatum, tibi proprie dicatum esse uolumus, uel quod citra exceptionē uni tibi mea debeam omnia: uel quod tu Hieronymi gloriæ soleas unice fauere: nimirū prudenter intelligens, nihil esse secundū euangelicas & apostolicas litteras, dignius quod legatur a christianis. Equidem crediderim ipsum Hieronymum sibi non-nihil hoc nomine gratulari, quod faustissimis tui nominis auspicijs, mundo reuixerit, tam inter theologos summus, quā tu inter laudatos episcopos nulli secundus. Etenim ut ille doctrinæ orbem, numeris omnibus felicissime absoluit: ita tu uirtutum omnium episcopalium circulum & harmoniam, mire temperasti. Cætera quidem pulchre congruunt, unum illud uereor, ne nostra mediocritas non satisfecerit uel Hieronymi dignitati, uel tuæ celsitudini. Nec enim usque magis ingenioli mei tenuitatem sentio, quā ubi contendo tuis eximijs uirtutibus, & amplissimis in me meritis, utcumque respondere. Sed quid facerē, tot ac tantis nominibus obstrictus tibi, ut ne capitis quidem auctione facta, sim ulli portioni soluendæ par futurus? Feci, quod solēt, qui cū prorsus soluendo non sint, data quantulacunque æris portione, sese magis etiam astringunt: & rem, non animum sibi deesse testificantur, malæ fortunæ potius, quā malæ fidei debitores: & ob hoc ipsum iudicum fauorē emereri soliti, quod miseri sint uerius quā ingrati. Atque in hoc sane genere rerum, una est referendæ gratiæ ratio, si quis ingenue libenterque debeat: & agnoscere creditorē, ex parte retulisse est. Imo ut quod similis est cōferam, eorū cōsiliū secutus, qui malunt uersurā facere, quā in neruū ire: ab Hieronymo sumpsi mutuū, quod tibi dependerē. Quanquā cur id iam mutuū uideat, ac nō potius meū? Ac multæ res soli uel occupatione uel præscriptione, demigrant in ius alienū. Cæterū in hoc rerum genere, Hieronymus ipse nobis legem præscripsit: in ea præfatione quā libris Regum præposuit, iterū atque iterū illud opus suū appellans, propterea quod quicquid corrigēdo, legendo, crebroque uersando nostrū fecimus, id iure nobis uindicam? Hac lege cur nō & ipse mihi ius uindicē in Hieronymianis libris, quos tot iam sæculis pro derelictis habitos, uelut in uacuū ueniens, non aestimandis sudoribus, ueræ theologiæ studiosis asserui? Aureum flumen habet, locupletissimā bibliothecā habet, quisquis unum habet Hieronymū. Atque hunc rursus nō habet, quisquis habet, cuiusmodi ferebatur ante hac, undiquaque confusum & contaminatum. Non quod ausim confirmare, nihil usque ueterum mendarum, hoc est, nulla pristinae ruinae uestigia residere: quod haud scio an ipse præstare queat Hieronymus: nisi contingant exemplaria castigatiora, quā nobis adhuc habere licuit. Illud summo adnixa studio consecuti sumus: ut nō multum supersit. Et ut nihil aliud, certe noster conatus nōnullos extimulaturus est, ne post hac nullo delectu, quicquid in libris offenderint, quantumuis corruptum a quocunque impostore quocunque titulo subditum, amplectantur, legant, approbent, ac uelut oraculum citent. Atque utinam eruditi omnes totis uiribus in hoc incumbant negotiū, ut quicquid nobis ex tot naufragijs, utcumque reliquum est bonorum authorum, id quoad fieri potest, pristinae integritati restituatur. Nolim tamen hanc adire prouinciam, nisi qui non minus fide, religione, iudicio, curaque polleant, quā eruditione: quod nulla sit acerbior bonorum uoluminum pestis, quā semidoctus aut oscitabundus, aut præceps, aut infelici iudicio castigatior. Utinamque principibus cunctis eadem mens esset, quæ tibi, ut omiſſis insanissimis pariter ac miserrimis bellorū tumultibus: ad sæculum suum pacis artibus illustrandum conuerterent animum: & ad huiusmodi saluberrimos labores, eruditorum studiū, præmijs accenderet. Videremus nimirū id breui toto orbe fieri, quod hisce non ita multis annis in tua factum est Britannia, quæ iam olim uiris, opibusque potens, nuper etiā religione, iusticia, uitæque cultu: denique litterarū ueterum omni genere, sic exulta est, sic enituit, sic effloruit, idque tua potissimū opera, ut ab orbe semota insula, cultissimis quoque regionibus, ad honestissimarū rerū studium calcar addere possit. Bene Vale in Christo Iesu, præsulum ornatissime, quem ille instaurandæ pietati, ac prouehendis bonis litteris, quæ diutissime seruet incolumem. Basileæ. Anno salutis. M.D.XVI. Kalē. April.

EPISTOLAE NVNCVPATORIAE. FINIS.